

Summa omnium huc redit; cum veracis officium sit prudenter & circumspicte semper agere ac dicere, & verum vel profiteri vel celare, pro re nata, & circumstantiis oblatis, iudicem urgente necessitate vel reticere posse veritatem, vel orationem aliò flectere tutò ac licitè posse, imò debere. Sed sedulo cavendum ac providendum, ne prudentia in calliditatem, aut veritas non prolata in mendacium, seu turpem simulationem abeat ac desinat: Hoc enim si fiat à vitio seu peccatò excusari iudex non poterit.

Liquet igitur quid sentiendum sit I. De facto *Eurimedis* cujus in Procem. meminimus: *Eurimedes* certè à mendacio & fallacia absolvi vix poterit; *Non enim licet Iudici dicere se habere rem plene aut semiplene probatam, quando revera non habet, tunc enim mentitur & celat id, quod Reo foret manifestandum.* Mentitur quia conceptus externus contradictorie oppositus conceptui immediatè interno. Ubi c. cordis & oris ἀσυμφωνία, ibi mendacium A. In Iudice qui dicit se habere rem plene aut semiplene probatam & non habet, est cordis & oris ἀσυμφωνία E. & mendacium. Major petita est ex *Hodom. Sprus Papai p. 1457. & Calvinii p. 1233.* & per se clara; vanum est si formalitatem mendacii abesse dixeris, talis enim ἀσυμφωνία nunquam non potest esse per se fallax cum frustra quis habeatur, & ex ipso verborum sono, ordinario sensu aliam opinionem concipiat ab ea, quam enunciatis intus alit. quod serio sed sero nimis *Eristhenes* agnovit: Minor facile probatur quia ut jam dictum oratio externa e. g. in *Eurimede Oloodemus confessus est veneficium ἀσυμφώνως* seu contradictoriè opposita conceptui immediate interno, *Oloodemus non confessus est veneficium*: Aliud habet in animo, aliud verbis enunciat. En duplex ejus cor. i. e. duplex cogitatio, quæ *Aug. c. 3. de mend.* vera mentientis nota, una qua scit *Oloodemum non confessum esse & non profert*, altera ejus rei quam pro ista profert sc: *Oloodemum confessum esse, sciens falsam esse. Celat etiam quod Reo foret manifestandum.* Q. enim Reo non aperit statum causæ, probationes, indicia & testes is celat quod Reo esset manifestandum A. iudex qui dicit se habere rem plene aut semiplene probatam & non habet, non aperit Reo statum causæ, probationes & indicia, testes, quia ipse λόγῳ ἔσω nescit licet λόγῳ ἔξω profiteatur, E. celat Reo quod esset manifestandum. Major probatur exinde quia iudex tenetur hæc aperire, ut Reus videat

videat